

mosam prolem, meretricula nulla, quæ parere appetat. Atque ita imperii terminos peragravimus, nunc quale sit illustrabimus. Duplex communiter in politicis traditur imperium *δεσποτικὸν καὶ πολιτικὸν*. Illud est, quando superior inferiori ita imperare potest, ut inferior contra niti nequeat, quale est imperium heri in servum: Hoc verò est, quando inferior superiori refragari, atque obedientiam denegare potest, cujusmodi est imperium magistratûs politici in subditos. Utrunque exercet voluntas, sed non pariter in omnes sibi subditas facultates. Quædam enim *δεσποτικῶς* obediunt, ut e. g. facultas locomotrix, quædam verò *πολιτικῶς*, ut e. g. appetitus sensitivus, qui sæpissimè reluctatur. Cum enim celeres impetus à sensu aut imaginatione suscitari, non advertente intellectu, Voluntatem antevertunt, tunc juxta Poëtam:

*fertur equis auriga, nec audit curvus habenas.*

Hinc appetitum sensitivum Aristoteles 1. Eth. c. ult. t. 112. eleganter comparat membro alicui corporis resoluti, quod sæpè cùm à paralytico dextrorsum impellitur, sinistrorsum tamen fertur. Huc referri etiam potest quærela Apostoli Rom. 7. v. 18. seqq. Plura hac de re qui desiderat, vid. Conimbr. disp. 4. Quæst. 3. in lib. Eth. Aristotelis, art. 3. & B. Hornejum Phil. Mor. lib. 2. c. 4. p. 174.

§. 24. Quæritur III. An voluntas errare possit nullo præcedente intellectu erroris? Anceps hæc & intricata est quæstio, de qua inter Auctores non convenit. Affirmant Scotus, Occamus, Gabriel, Henricus; negant Thomas, Durandus, Fonseca. Mediam tenere viam, atque utramque sententiam aliquid continere veri, statuere, videtur tutissimum. Et cùm ignorantia cujusvis erroris fit genetrix, juxta illius indolem res ponderanda, & cum Svarezio nobis distinguendum erit inter ignorantiam formalem, quæ defectum scien-

Ec

tia